

manet regula : « In obscuris minimum est sequendum » : indeque non nisi ad deterius dandum obligatio inducitur. Dynus hic n. 8 et 9, arg. l. *Cum servus*, 39, § 6, ff. *de Legat.*, I, et l. *Si ita relictum* 43, § fin., ff. *de Legat.* II.

18. *In genere proprie tali non fallit.* — Porro plures doctores cum Dyno hic n. 7, asserunt, regulam non tantum in speciebus, sed etiam in generibus fallere. Notandum tamen eos loqui de genere et specie non in philosophico, sed in iudicio sensu acceptis; in quo ultimo sensu etiam individua et alia singularia vocantur species : e contra veræ species philosophicæ habentes sub se plura individua, uti homo, leo, asinus, etc., apud juristas vocantur genus, prout magis dicitur infra explicando regulam 34. « Generi per speciem derogatur. » Dynus l. c. cum aliis, arg. l. *Ita stipulatus*, 115, ff. *de V. O.*

19. *In homicidio, a pluribus commisso, fallit. Delicta non deberent manere impunita.* — Cæterum fallit regula secundo in casu, quo homicidium a pluribus committitur, et nescitur : sed obscurum manet, quis eorum vulnus lethale inflixerit : tunc enim non minimum de puniendo uno vel nullo, sed maximum, videlicet ut omnes tanquam homicidæ puniantur, eligendum statuitur, l. *Item Mela*, 11, § 2, ff. *ad l. Aquil.* Et merito, cum enim omnes in actu homicidii deprehensi culpabiles existant, omnes jure merito poenæ subjacent, ne cum gravi damno republicæ delicta maneant impunita contra l. *Ita vulneratus*, 51, § 2, ff. *ad Leg. Aquil.* ibi : « Cum neque impunita maleficia esse oporteat. » Dynus hic n. 19.

## REGULA XXXI.

EUM, QUI CERTUS EST, CERTIORARI ULTERIUS NON OPORTET.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula juxta Glossam hic desumitur ex l. 1, ff. *de Actionibus empti et venditi*, ubi habetur : « Quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignoravit. »

2. *Certus quis dicatur? tribus modis certus fieri potest.* — Quæritur I. Quomodo regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. *Certus* per regulam præsentem intelligitur ille, qui non qualemcumque, sed indubitam notitiam, seu scientiam rei, vel negotii alicujus habet; quæ notitia vel certi-

tudo triplici modo haberi potest : vel *physice*, ac naturaliter per quinque sensus, visum præsertim et auditum, ut si quis instrumentum authenticum rem continens ipsemet vidit et legit, vel quid aliud in quæstione versari propriis oculis cognovit, vel auribus audivit, v. g. promulgationem legis præsens auribus percepit : vel *moræ fer*, quæ notitia provenit ex motivis adeo vehementibus, ut nullus prudens dubitandi relinquatur locus : cujusmodi certitudo ex relatione virorum omni exceptione majorum, fideque dignorum habetur : vel « ex dispositione legis naturalis, » quæ cunctis nota esse debet, vel humanæ claræ ac certæ riteque promulgatæ, Taccin. hic n. 1; Peck n. 1, cum aliis arg. l. *Magnam*, 12. C. *de Contrah. et committend. stipul.*

3. *Quid sit certiorari?* — Per *certiorari* intelligit regula particularem aliquam judicalem, vel aliam denuntiationem, insinuationem, aut notificationem, vultque dicere, quod qui aliquo ex præfatis modis de re quadam certus est, seu sufficientem notitiam jam habet, vel saltem habere deberet, et ulteriorem aliquam insinuationem, vel denuntiationem facere ad hoc, ut notitiam acquirat, non sit necesse. Hinc

4. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est : « De jure non est necessarium, ut alicui, qui sufficientem notitiam vel scientiam de re, vel negotio aliquo jam habet, vel saltem habere deberet, pro acquirenda ejusdem rei, vel negotii notitia, adhuc ulterior aliqua fiat denuntiatio, insinuatio, vel notificatio. » Rationem dat Vivianus hic : quia denuntiatio alicui regulariter ideo fit, ut notitiam acquirat de re aliqua l. *Item veniunt*, 20, § 11, ff. *de Hæred. petit.* Ergo si is sufficientem notitiam jam habet, frustranea et superflua est ulterior notificatio talis rei : sicut autem natura, sic etiam leges et jura nil frustra, aut superfluum faciunt vel exigunt. can. 1, dist. 19, cum concord.

5. *Declaratur regula exemplis juris. Venditor servitutem fundi insinuare non tenetur, quam emptor jam scit. Nec vitium mancipii, vel alterius jam notum.* — Declaratur regula et sensus illius exemplis juris : Sic enim, licet vendens fundum, vel domum aliquam servitute affectam, teneatur emptorem de servitute certiore reddere; cum id omittens teneatur actione empti ad interesse emptoris : tamen hujusmodi servitutem insinuare non

obligatur, si emptor prius jam scit fundum servituti esse subjectum textu claro l. 1, § 1, ff. *de Action. empti*. ibi : « Venditor si, cum sciret deberi servitutem, celavit, non evadet ex empto actionem; si modo eam rem emptor ignoravit : quia uti § fin. ibidem additur, non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit. » Sic etiam licet quis mancipium vel aliam rem, v. g. equum viciosum, scabiosum vendens debeat emptorem certiore reddere de moribus et vitis mancipii, vel morbo aut gravi defectus emptori notificare non debet, quando is horum prius jam sufficienter conscius est, l. 1, ff. *de Ædilit. edict.*

6. *Nemo tenetur alium de claris juribus certiore reddere. Dies interpellat pro homine.* — Sic universaliter nemo tenetur adversarium suum de claro jure aut lege certiore reddere, quia hanc quemvis scire præsumitur, cum scire debeat, indeque ignorantia hujusmodi juris ipsum non excuset juxta regulam 13, jur. in 6, « ignorantia facti, non juris excusat » : et dicta ibidem. Prout etiam necesse non est, aliquem monere, vel certiore reddere de die solutionis, ubi is in contractu est appositus; quia debitor in tali casu præsumitur jam certus, cum dies ipsa interpellat pro homine l. *Magnam*, 12. C. *de Contrahend. stipulat.* cum concord.

7. *Iter ad curiam romanam in causa litigiosa arripere æquivalet appellationi.* — Sic ulterius in specie arripiens in causa litigiosa iter ad curiam Romanam sciente prætato inferiori iudice, non tenetur illi communicare iter aggressum, minus attentati insinuare appellationem, vel eum de hac certiore reddere, quia ipsemet prælatus scivit, vel scire debuit, iter ad curiam Romanam arripitum habere vim appellationis, arg. c. *Si duobus* 7, et c. *Meminimus*, 9, de *Appellat.* ac stante hujusmodi appellatione excommunicationem non subsistere, c. *Ad præsentiam*, 16, de *Appellat.* cum concord. Hinc in sensu regulæ n. 3, posito notanter additum : « Si de re notitiam jam habet, vel saltem habere deberet; » cum scire et scire debere pro eodem sumantur per dicta in regulam 13, jur. in 6.

8. *Fallit regula, quando ulterior certioratio requiritur ad substantiam actus.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat præsens regula? Resp. eam universaliter fallere in iis, in quibus ulterior denuntiatio, seu insinuatio rei alias jam notæ non ideo fit, ut alter, cui

fi, acquirat rei majorem vel certam notitiam : sed ideo, quia ulterior certioratio, seu denuntiatio ex dispositione juris requiritur ad substantiam et valorem actus, uti cum Dyno hic n. 4, communiter advertunt doctores arg. l. *Denuntiasse*, 17, ff. *de Adult.* et clare patebit adducendo ad propositum exempla juris : Sic enim

9. *Uti ad declarandum contumacem.* — Primo sufficientem notitiam rei jam habens reus absens, ut contumax declarari, et contra eum qua talem procedi non potest, nisi prævia trina, vel una, tribus æquivalente peremptoria citatione in jus fuerit vocatus; quia sic in jure expresse disponitur l. *Ad peremptorium*, 68, cum seqq. ff. *de Judiciis*, et l. *Contumacia*, 53, ff. *de Re judicata*, ibi : « Contumax est, qui tribus edictis præpositis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, litteris evocatus præsentiam sui facere contemnit » : Et amplius diximus lib. II, tit. XIV, de *Dolo et Contumacia*.

10. *Et ad privationem privilegii clericalis.* — Secundo, ut quis etiam scelerum suorum bene conscius privilegio clericali legitime exuatur, trina monitio prævia de jure necessaria est, textu claro c. *Contingit*, 45, de *Sentent. excomm.* juncta Clement. 1, de *Vita et honest. cleric.*

11. *Necnon ad ferendam excommunicationem majorem.* — Tertio pariter requiritur prævia trina monitio, ut quis per iudicem ecclesiasticum excommunicatione majori feriatur. c. *Constitutionem*, 10, de *Sentent. excomm.* in 6, ibi : « Judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, » et amplius habetur, lib. V, tit. 39, de *Sentent. excomm.*

12. *Testes in testamento non valent, nisi sint rogati.* — Quarto, quamvis testes præsentis audiant voluntatem testatoris, et omnia circa testamentum rite peragi videant : tamen pro valore testamenti non sufficiunt, nisi testes ut actu adsint, fuerint rogati, l. *Hæredes*, 21, § 2, ff. *Qui testamenta facere possunt*, ibi : « Testes rogati adesse debent, » cum concord. et jam dictum est lib. III, tit. XXVI, de *Testam.* n. 21.

13. *Judex non nisi imploratus, et judicialiter informatus in causa procedere potest.* — Quinto, etsi iudex causam inter aliquos controversam per se optime compertam habeat : tamen in ea judicialiter informatus fuerit, non ut notitiam acquirat, quam jam habet,

sed ut iudicii et processus forma servetur, l. *Dies*, 4, § *Hoc autem*, 8, ff. *de Damno infecto*, ibi: « Hoc autem iudicium certam conditionem habet, si postulatum est: cæterum qui non postulavit, experiri non potest. Postulare autem proprie hoc dicimus pro tribunali petere, et non alibi. » juncta authent. C. *Quomodo et quando judic.*

14. *Venditor non tenetur ad evictionem, nisi fuerit ab emptore laudatus.* — Sexto. Venditor, moræ bene conscius, non tenetur emptori de evictione, nisi ab emptore fuerit laudatus, sive de lite, ut causam defendat, prius admonitus. l. *Emptor*, 18, et l. *Empti*, 21. C. *de Evict.*

15. *Clerici concubinarij ut pœnas incurrant, prius debent moneri: et quomodo? Concilij Tridentini textus ad propositum.* — Septimo. Clerici concubinarij, vel alias suspectam mulierem in propria domo, vel extra illam frequentantes, quantumvis scelerum suorum conscii, fructibus beneficii, ex parte vel ex toto, aut ipso beneficio privari non possunt, nisi certæ præcedant monitiones juxta præscriptum concil. Trident. sess. 25, cap. xiv, *de Reformat.* cujus textus huc denuo relatu omnino dignus est, ibi: « Quam turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus immundoque concubinato versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoque clericali militiæ dedecore, testatur. » Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit, prohibet sancta synodus quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a superioribus moniti ab iis se non abstinerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque et pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicentur. Sint vero in delicto eodem, cum eadem vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, et pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam a beneficiorum ipsorum

administratione, quoad ordinarius, etiam uti Sedis apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur: et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed, si postquam eas seime dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediatur aut suspendatur: supra dictorumque omnium cognitio non ad archidiaconos, nec decanos, aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, et figura iudicii, et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, et contumaciæ perseverantiam et qualitatem, ab ipso episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi: et si perseverent, etiam si sanctissimum Romanum pontificem ab eadem synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eo animadvertat.

16. *De pœnis clericorum lascive viventium. Remissive.* — Porro quibus pœnis alias subiaceant clerici incaste viventes, vide lib. III, tit. II, *de Cohabit. et cleric. et mulier.* § 2, per totum.

17. *Quod ulterior certificatio sit de substantia actus, non præsumitur, sed probari debet: bene vero præsumitur nisi scientia probetur.* — Cæterum bene advertit Dynus hic n. 5, quod in dubio, utrum ulterior monitio vel certificatio alias jem certificati sit de forma et substantia actus, ea non, sed contra præsumatur, nisi aliter probetur; cum denuntiationes ordinariæ ideo tantum fieri soleant, ut incertus certificetur, l. *Item veniunt*, 20, § *Petitam*, 11, ff. *de Hæredit. petit.* juncta l. *Aut qui aliter*, 5, § *Et si forte*, 2, ff. *Quod vi aut eom.* Licet cæteroquin etiam ad propositum quod

quis scientiam et notitiam de re aliqua jam habeat, consequenter ulterius certificari non debeat, non præsumatur, in iis, quæ sunt facti alieni, nisi probetur. Strein hic n. 1, cum aliis juxta reg. 47, jur. in 6: « Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. »

## REGULA XXXII.

## NON LICET ACTORI, QUOD REO LICITUM NON EXISTIT.

1. *Regula unde desumpta?* — Regula hæc desumitur ex l. *Non debet*, 41, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Non debet actori licere, quod reo non permittitur. »

2. *Est expresse negativa, et tacite affirmativa.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda? et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam quidem expresse esse negativam, tacite tamen etiam affirmativam, sicque partim affirmativam, partim negativam, consequenter sic intelligendam: quod reo non licet, nec actori licitum est: item, quod actori licet, etiam reo licitum existit. Idque non ideo, quia correlativi sunt, ac propterea ob æqualitatem servandam, quod uni licet, etiam alteri licitum esse debet, uti post Gloss. in Clement. *Sæpe*, V. *voluerit. ac Verb. signif.* vult. Barb. *In Axiomat. jur. axiom.* 10, n. 7 et seqq. Cum id regula minime asserat sed præcise insinuare intendat, actorem non esse melioris conditionis, quam reum, consequenter, quod illi licet, etiam huic licitum esse debere, ac quod illicitum huic etiam illicitum fore illi: Non vero quod licet reo, etiam actori licere, aut quod actori non licet, nec reo esse licitum; cum causa rei favorabilior sit, quam actori juxta reg. 125, ff. *de Reg. Jur.* in 6. Hinc

3. *Ponitur verus sensus regulæ. Favorabiliores sunt partes rei, quam actoris.* — Resp. II. Verus, ac genuinus sensus regulæ hic est: « Quidquid in iudicio ad promovendam, et assequendam suam intentionem actori permittitur, a fortiori etiam reo ad se defendendum, suamque exceptionem fundandam permittendum erit: Et quidquid in præfato sensu reo non licet, multo minus actori licebit. » Ratio manifesta desumitur ex utraque regula juris canonici et civilis; hæc siquidem numero 125, ff. *de Reg. Jur.* sic sonat: « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. » Canonica vero numero 11, sic: « Cum

sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori: » Idque ob rationes supra in hanc regulam 11, jam allegatas.

4. *Regula declaratur exemplis juris.* — Declaratur et firmatur regula, ejusque sensus variis exemplis ex jure desumptis: sic enim loquendo de sensu affirmativo, si actori petenti conceditur dilatio propter testes, etiam reo concedi debet. Dynus hic n. 1. Taccin. n. 4, arg. 1. *Petendæ. C. de Tempor. in integr. restitut.* cum concord.

5. Loquendo de sensu negativo: quia post cognitæ testium depositiones ulterior productio testium non est licita reo, *Novell.* 90, cap. iv, § *Illud tamen*, multo magis illicita erit actori, ob rationem n. 3, allegatam. Strein. hic n. 1.

6. Item, quia post litem contestatam non amplius licet reo revocare procuratorem, l. *Post litem*, 17, et l. *Quæ omnia*, 25, ff. *de Procurat.* multo minus id licebit actori. Dynus hic n. 2.

7. Item, quia reus coram iudice delegato conventus cum clausula commissioni inserta: « Ut remota appellatione procedat, » non potest appellare, a fortiori prohibita appellatio erit actori c. fin. *de Mutuis petit.* si hic coram eodem iudice reconvenatur. Gloss. in Clement. *Sæpe, de Verb. signif.* Decius in regulam 41, ff. *de Reg. Jur.*

8. Ulterius: quia reus pro suo procuratore non potest constituere militem: l. *Neque fœminæ*, 54, ff. *de Procurat.* Nec actor id poterit.

9. Rursus, si actor in causa civili impetrat, ut Reus personaliter compareat, personaliter quoque comparere debet actor: Gloss. in c. 2, *de Mutuis petit.* Decius loc. cit. n. 2, Baldus et alii.

10. *Plura licent reo, quæ actori non licent: enumerantur.* — Imo non tantum illicita actori sunt ea, quæ reo non licent, sed insuper multa reo permittuntur a jure, quæ actori non concedantur: sic enim præter ea, quæ ad Regulam 11, diximus, primo, reo concedantur de jure recusatoriæ, ac etiam deliberatoriæ dilationes, non item actori. Authent. *offeratur. C. de Litis contest.* Et illi plures quam huic permittuntur dilationes probatoriæ, l. fin. ff. *de Feriis.*

11. *Reus non tenetur actori edere sua instrumenta, bene tamen e contra.* — Secundo, reus non tenetur sua instrumenta edere Actori ad fundandam suam intentionem l. *Qui accusare. C. de Edendo*, licet actor subinde sua

instrumenta edere debeat reo ad probandam suam exceptionem.

12. *Reus admittitur ad juramentum suppletorium et purgatorium; sed non e contra.* — Tertio, quando actor non plene probat, in civilibus, reo potius, quam actori defertur juramentum suppletorium, c. et § fin. de *Jurjurando*, et amplius diximus lib. II, tit. XXIV, eod. a n. 191. In criminalibus vero reus non convictus, sed graviter suspectus, et gravatus admittitur ad juramentum purgatorium c. 1 et 2, de *Purgat.* canon. cum concord. cum tamen in iisdem criminalibus actor in vim probationis jurare nunquam permittatur.

13. *Reus potest excipere contra actorem excommunicatum; non e contra.* — Quarto. Potest reus contra actorem excommunicatum excipere, non sic contra reum ut talem actor. c. *Intelleximus*, 7, de *Judiciis*. ubi summarium sic habet: « Excommunicatus, in iudicio nisi tanquam reus stare non potest. » Quæ et similia reo, non item actori sunt licita; quia juxta duplicem Regulam n. 3, citatam favorabiliores sunt partes rei, quam actoris.

14. *Fallit regula primo quia actor potest extraordinarium judicem petere; non item reus.* — Quæritur II. An et quas tallentias regula 32, patiat, ita ut actori liceat, quod reo licitum non existit? Resp. eam fallere in sequentibus; et quidem primo potest actor petere, et per rescriptum principis extraordinarium judicem impetrare, atque ad illum trahere reum. l. *Si quando*, 2. C. de *Dilat.* quod tamen vicissim reo minime permittitur. *Novell.* 69, cap. 1. Dynus hic.

15. *Secundo, quia potest ex pluribus ordinariis judiciis unum pro libitu eligere; non item reus.* — Secundo, quando actor plures habet judices ordinarios, potest unum pro libitu suo eligere, l. *Cum clericis*, 25, pr. C. de *Episcop. et cleric.* juncta l. fin. C. *Ubi in rem actio*. Et tamen id non licet reo, utpote qui nullum ordinarium judicem recusare, sed coram eo per actorem conventus comparere tenetur. l. *Nemo*, 4, C. de *Jurisdic. omn. judic.*

16. *Tertio, quia actor reum de crimine accusare; non vero reus, nisi purgatus illum reaccusare potest. Defensio non relatione criminum, sed innocentia fieri debet.* — Tertio. Potest actor reum de crimine accusare coram competente giudice: et tamen reus nisi prius purgatus actorem coram eodem giudice reaccusare non valet. l. *Neganda*, 19. C. *Qui ac-*

*cusare non poss.* quia non relatione criminum, sed innocentia sua se purgare debet reus, claro textu, l. *Si quis*, 5, pr. ff. de *Public. judiciis*. ibi: « Si reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quam fuerit excusatus. Constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur. »

17, 18, 19. *Actor probato furto rei admittitur ad juramentum de amissa quantitate: non item reus ad juramentum purgatorium.* — Quarto, stante obscuritate libelli sensum ejus declarare actori, non item reo licet l. *Inter*, 83, § 1, ff. de *Verb. Oblig.* sic suadente æquitate, hoc ipso, quod actori intentio et sensus proprii libelli melius perspectus censeatur, quam reo.

Quinto, quando actor res sibi a reo ablatas debite probavit, admittitur ad juramentum de asserenda earum quantitate, c. fin. de *His, quæ vi metusque causa*, ubi tamen in tali casu ad juramentum purgatorium nullo modo admittitur reus; quia facta contra illum probatio furti vel rapinæ eundem suspectum jam et odiosum reddit.

Sexto. Permissum est actori etiam die feriati nuntiationem novi operis facere: non tamen licet reo hujusmodi feriati die remissionem nuntiationis petere l. 1, § 4, ff. de *Novi operis nuntiat.* Et merito; quia in nuntiationis mora longe majus periculum est, quam in dilatione remissionis, prout ex rei natura patet.

### REGULA XXXIII.

#### MUTARE QUIS CONSILIUM NON POTEST IN ALTERIUS PRÆJUDICIUM.

1. *Regula unde desumpta?* — Huic regulæ concordat 75. *Regula*, ff. de *Reg. jur.* ex qua etiam desumpta censetur: « Nemo potest mutare suum consilium in alterius injuriam. » Consonat regula 21, jur. in 6, supra jam declarata: « Quod semel placuit, amplius displicere non potest. »

2. *Est intelligenda, quando alteri jus jam est quæsitum.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam esse intelligendam de illis duntaxat casibus, seu tunc solummodo locum habere, quando ex alicujus consilio, consensu, contractu, aut quocunque actu libere et consulto facto, alteri jus jam est quæsitum, consequenter hic ex mutatione,

variatione, aut revocatione pateretur detrimentum, injuriam, ac præjudicium, uti cum Glossa, Barbosa et Dyno hic communiter tradunt doctores per argumentum a contrario desumptum; hoc ipso quod dicat regula: « Non debet mutare consilium in alterius præjudicium » bene cum Glossa inferitur ergo a contrario, ubi præjudicium et detrimentum alterius abest, mutare licet.

3. *Mutare consilium, quando nemini præjudicat, laudabile et prudentis est. Eidem, et opinioni suæ tenaciter inhærere, si circumstantia et æquitas aliud exigunt, pertinacia et superbia est.* — Imo quando mutatio consilii nemini præjudicat, nec alias a jure communi prohibita existit, subinde non tantum licita, sed etiam laudabilis est, ut si mutantur circumstantiæ, aut novæ superveniant, aut jam existentes prius minus consideratæ, aut per genuinam informationem primum sufficienter cognitæ, atque consilii mutationem exigere visæ fuerint: tunc enim prudentis et sapientis est mutare consilium arg. l. *Nonnunquam* 8, ff. de *Collatione bonorum*. Ubi e contra in hujusmodi circumstantiis consilio, opinioni, resolutioni suæ tenaciter inhærere evidens signum est pertinaciæ et occultæ superbiæ, quæ pro conservanda reputatione, aut æstimatione, et ne quis inconstans, levis, aut ignarus, vel minus doctus et expertus appareat, mutare et revocare erubescit, effectu prorsus contrario ordinariæ subsequente; cum ita tenaciter sensui suo inhærens non vir constans, prudens et doctus, sed pertinax, imprudens, simulque occulte superbus, aut certe ex proprio interesse, passione, affectu vel respectu privato procedens plerumque reputetur, et non raro etiam propriam conscientiam multum gravet, præsertim quando satis apparet, quod, nisi mutetur vel revocetur consilium, opinio, votum, resolutio et bonum commune, aut tertius patiat; dum e contra exigentibus circumstantiis consilium suum mutans aut revocans, non inconstans, levis aut ignarus, sed vir prudens, veritatis et æquitatis amans, indifferens, Deum timens, humilis, simulque doctus habeatur, æstimetur, et diligatur. Præsertim cum etiam prudentissimi, doctissimi, piissimi supremi legislatores, pontifices, cæsares ac principe pro exigentia circumstantiarum leges, ordinationes, resolutiones, consilia et mutare et revocare non erubescant, uti patet ex satis pulchros et ad propositum bene serviente claro textu c. ibi:

« Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, et consulte, quæ suadente subjectorum qualitate postmodum consultius et rationabilius revocat, in meliusve commutat. » ac imperatoris Novell. 22, in *Præfat.* § *Non enim erubescimus*, ibi: « Non enim erubescimus, si quid horum, quæ ipsi prius diximus, adinveniamus, hoc sancire, et competentem prioribus correctionem imponere, nec ab aliis expectare corrigi legem, » quibus consonat illud Luciani: « Melius est e medio cursu recurrere, quam male currere. »

4. *Laicus patronus cumulando potest mutare, et præsentare alium.* — Firmatur hæc doctrina etiam juris exemplis. Sic enim si laicus patronus aliquem etiam idoneum ad beneficium præsentavit, potest ante institutionem ipsius adhuc alium præsentare, c. *Cum autem*, 24, de *Jurepatron.* quia priori jus necdum fuit quæsitum, consequenter mutando consilium eidem non fit injuria.

5. *Procurator, re adhuc integra, mutari potest.* — Sic pariter procurator ad negotia deputatus, re adhuc integra revocari potest, l. *Si Mandatum*, 15, ff. *Mandati*. Sicut etiam ad litem prosequendam constitutus, ante litis contestationem libere revocari valet. c. *Quamvis*, 2, de *Procurat.* in 6. Idque ex ratione jam allegata; quia videlicet nulli eorum fit injuria; cum nullius eorum adhuc jus quæsitum habuerit. Ex qua eadem ratione, quia reo non fit injuria, etiam actor libellum jam oblatum ante litis contestationem licite revocare, mutare et emendare potest, l. *Edita*, 3, C. de *Edendo*. Hinc

6. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Nemo potest suum consilium, consensum, resolutionem, etc., mutare aut revocare, postquam alteri jus jam fuit quæsitum, et consequenter ex mutatione, seu revocatione consilii, etc., injuria vel detrimentum eidem inferretur. » Ratio regulæ est, quia jure naturali et divino cautum est: « Alterum non lædere, suum cuique tribuere. » *Instit. de Jur. et just.* § 3, quod idem l. *Justitia*, 10, § 1, ff. eod. repetitur, et universali juris regula 74, ff. de *Reg. jur.* firmatur: « Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. »

7. *De fallentiis regulæ. Remissive.* — Exempla juris regulam et sensum illius magis declarantia et firmantia affert Glossa hic, Dynus et Barbos. quorum aliqua jam adduximus supra declarando regulam 21, a n. 8, quibus